

Ad p. t. benevolos lectores!

Certe non sumus usitato quidem more adducti, ut ephemerides nostras «Studien» novi IV. anni paucis introducamus. P. T. benevoli lectores haud dubie uno aspectu parvam perspexerunt immutationem in ephemeridis indice factam. Quae ex augenda ephemeride nostra prodiens breviter vult diligentius explicari. Cleri personas sperare possumus non ignoraturas, Ordinem Cisterciensium pariter ac Camaldulensium, Trappistarum etc. nihil aliud quam ramos esse magni Ordinis Benedictini, quum omnes ac singuli regulam S. Benedicti sequantur. Cuius rei plures quoque nostros benevolos lectores laicos nolumus esse ignaros. Quum vero in novissimis cursibus annuis ephemeridis «Studien» illustris ille singulariterque apud nos in Austria aliquantum propagatus ordo S. Bernardi iteratis iam vicibus plane et aperte in societatem venerit nostrae ephemeridis: qui illi edendae praeest, officium suum putavit cum permultis doctissimis viris illius Ordinis familiarius adhuc se coniungere. Optima videbatur via commentarios nostros amplificare illosque constituere instrumentum quoddam tamquam interpretem omnium stirpium Ordinis Benedictini, quarum primum tenet locum Ordo Cisterciensis. Quo in opere ne arbitrato nostro procedamus, sed quo facilius perpetuo ordinatam consociationem exordiamur perficiamusque, certiores facti, quid hac de re sibi videretur, a pluribus nobiscum, qui commentariis adornandis praesumus, familiaris coniunctis honoratissimis viris Ordinis Cisterciensis Revmum. D. Visitatorem omnium domorum religiosarum Austriaco-Hungaricae provinciae

Cisterciensium, Vicarium generalem et Abbatem monasterii Altovadensis in Bohemia P. T. Leopoldum Wackarž adivimus, ut literis circum singulos monasteriorum praesides illius provinciae dimissis sua auctoritate ad ineundam hanc consocietatem Cisterciensium cum Benedictinis exhortari dignetur, quo facilius propositum iam pridem constitutum assequi valeamus.

Explenda supplici hac petitione — id quod peramanter nobis est promissum — exigua innititur indicis immutatio.

Ut praetermittamus causas, quae ex rei natura sequuntur, et quas indicavimus, aliae insuper rationes momentum nobis fecerunt hac in re. Undique his temporibus audimus affirmari prelum magnam habere potentiam. Quo quidem primum pars rempublicam spectans intelligitur, quae communem fingit opinionem, illum nonnunquam terribilem factorem vitae populi reique publicae, quocum singuli homines vel optimi iudicii et probatissimae persuasionis frustra contendunt. Hancce potissimum preli partem, ut lenissime dicatur, toto ferme orbe terrarum in manibus ecclesiae catholicae inimicis atque infestis inveniri certo compertum est. Sed tamen prelum quoque, quod ad aliud adnititur resque publicas defugit, in praecipiti est. Praecipue vero studium historiae et cuius sit momenti hisce temporibus parum intelligitur. Illud omnibus notum: historiam temporum praeteritorum esse magistram, quae nihil aliud appetit, nisi ut bona praecepta praesentibus futurisque salutare cautiones prospiciat, vim suam usu peritam vitae agenda magis magisque amittit. Ratio est, quod minus agnoscantur difficultates, quae utili historiae studio obstant, quodque illud plerumque tali tractetur ratione, quae non tantum singulis hominibus, sed totis etiam classibus, apud quas isti homines multum auctoritate sua valent, periculosa redditur. Vetus quidam auctor qualitates historici — talemque quemlibet historiae studiosum intelligere possumus — sequentibus complectitur verbis: «Quis dubitet, quin historicus vir gravis, integer, severus, intelligens, disertus et quasi communis ac privatae vitae, omniumque rerum magnarum scientia instructus esse debeat.» Quam bene valeret universa societas humana, si in unoquoque historiarum scriptore ac cultore illas virtutes semper coniunctas inveniret! Tantum abest, ut hocce loco modum historias scribendi legendique explicemus, ut breviter illos indicemus defectus, quibus studium

illud hodie premitur. Primum desideratur iudicium incorruptum, quo remota quavis interpositione sui iudicii, quae ante oculos habentur, res gestae sunt excipiendae. Unde in plerisque oritur periculum in exponendis rebus gestis inducendi in errorem. Ad hunc historias ut nunc fit scribendi defectum deinde accedunt defectus ingenii morumque illius, qui res perscribit, ut exempli gratia magna cum arrogantia saepe coniuncta iniquissima inscitia, temeritas, levitas, quae omnia sublimiora negligit, reticentur, depravantur facta, excogitantur fabulae, falsi supponuntur impulsus, partium agitur studium ex adulatione procedens nec non nationum ambitione etc. Contra quae aliaque vitia historiae, ne e dignitate sua excidat, multa sunt impedimenta superanda. Ut illa vitia declinamus atque in angusto spatio, quod nobis in commentariis «Studien» attribuitur, si usu venerit, toto animo ac studio omni illis obluctemur, a primo nobis propositum esse putavimus illudque pro viribus exsequi studuimus. Nostra semper fuit ulteriusque remanebit ultima supremaque agendi norma, ut historiam complectamur summo illo axiomate: «Rerum gestarum Deus est rector et dux.»

Sublimitas vero huius operis requirit, ut plures inter se iungantur vires, praesertim eo quod de historiis Ordinum religiosorum hominibus literatis, qui sic dici appetunt, intelligentia penitus abest. Persuasi de necessitate huiusce nostrae conditionis contra illos, qui doctrina sua comprimunt viros catholicos studium historiae profitentes, quales ut vetus ille clarissimus Görres quasi aquilae volatu quotidiana et mediocria alte egrediuntur indeque praeterita, praesentia, immo similes prophetarum foederis antiqui saepe futura contemplantes hominibus suae aetatis interpretantur, — filios S. Bernardi novos nobis adscivimus socios. Quorum efficaci adiutorio confisi repetemus certamen, quod nostrum est, adipiscendi propositum, quod in constituendis commentariis «Studien» suscepimus. Hac in re nil nos angit neque exterret. Confidimus enim insuper adiutorio complurium virorum doctorum, quos lumina catholica regionis Rhenum adiacentis proxime hocce anno peregrinantes a Francofurto usque Coloniam Agrippinam ipsi cognovimus nostrisque studiis conciliavimus. Qui omnes lubenter nostra sequuntur signa; est enim illorum dictum in certamine contra istam

sine Deo doctrinam simile illius ordinis S. Benedicti. Magnum certe solatium nobis praebet, quod studia nostra cum honorifica comprobatione assensuque agnoscuntur a pluribus Revmis. Ecclesiae Praesulibus. Ut iam anno praecedenti hac in re honorificas literas Excellentissimi ac Revm. D. D. Archiepiscopi Viennensis omnibus patefecimus eum in finem, ut socii lectoresque nostrorum Studiorum crescente semper animi fervore nobiscum coniuncti remaneant, non minus hocce quoque anno idem grato animo hisce adiungere possumus. Quod vero attinet sumptus iacturasque non leves, quales inceptum literatum catholicum, quod tam anguste ut nostra «Studia» coërcetur, his temporibus requirit, melius facere nescimus nisi ad allocutionem reiicere, quam anno currente Sanctissimus Dominus Noster Leo XIII. ad episcopum Anconitanum habuit, in qua illum ad instituendam novam ephemeridem catholicam cohortatur. Expectationes, quas summus Pontifex acumine ingenii divino spiritu inflati futuraque perspicientis in hac allocutione in fidelibus catholicis ponit, fore, ut omnes, qui de religione nec non de patria bene mereri velint, in sustentanda sublevandaque ephemeride catholica inter se concertent: easdem nos quoque collocamus primum in omnibus nostris confratribus, quibus filiis S. Benedicti eo nomine strictiori et ampliori de excolenda historia humana civilique, quod opus ordinibus a se institutis proposuit, persuasum est. Certe omnes, ut credimus, confratres nostri ceterique alii, qui cum ordine nostro et praesertim cum nostro opere studiose consentiunt, pro viribus contendunt, ne concidat inceptum, quod sacro cum fervore susceptum pariterque continuatum gratissimam memoriam unius insignis viri omnium saeculorum in loco ubi pugnandum est de doctrina integram semper sanctamque vult conservare.

DIFICVLtatIbVs feLICItter sVperatIs Deo proVenlant LaVDes!